



Tauno Miesmaa 1961

*EDWIN LINKOMIES*  
ANNO AETATIS LXVII

# EDWIN LINKOMIES

IN MEMORIAM

Päivö Oksala

Edwin Linkomies, cancellarius venerabilis professorque litterarum Romanarum universitatis Helsingiensis, ante diem sextum Idus Septembres anni MCMLXIII subito diem supremum obiit anno aetatis suae duodeseptuagesimo. Qui iam pridem iterum iterumque graviter aegrotaverat, sed vigore animi adiutus ad officium perficiendum surrexerat atque more mirabili laborem diuturnum et paene vires humanas superantem pondusque ingens curarum gravium pertulerat.

Cancellarius Linkomies persona maxima auctoritatis sicut consul Romanus erat, quin etiam vir praestantissimus in re publica administranda et princeps generis sui in rebus ad universitatem culturamque humanam pertinentibus, porro vir eminens, doctissimus, sagacissimus in scientiis artibusque interpretandis, homo vivax, humanissimus, qui fere nil humani a se putabat alienum. Cancellarius ille aetate iam provectus etiam multos annos hoc munere sublimi universitatis fungi potuisset, quod officium auctoritatem magnam experientiamque eximiam postulat et principatum rerum academicarum in terra nostra affert.

Vir ille summis ingenii praeditus anno millesimo octingentesimo nonagesimo quarto ante diem undecimum Calendas Ianuarias Viburgiae natus, studiosus universitatis iam iuvenis sedecim annorum, magister artium duobus annis post, licentiatus etiam suo anno millesimo nongentesimo undevicesimo factus, deinde doctor promotus est. Duobus annis post dissertationem factam docens philologiae classicae in universitate Helsingensi nominatus, idem duobus annis post professionem eloquentiae sive litterarum Romanarum assecutus est. Quadraginta igitur annos in ea professione fuit, quod rarissimum est in historia universitatis nostrae. Per omnes magistratus gradatim in universitate progressus est: primum decanus vicarius sectionis historiae-philolo-

gicae anno millesimo nongentesimo tricesimo factus, deinde decanus anno post prorectorque universitatis iam anno sequenti creatus. Hoc munere usque ad annum millesimum nongentesimum quadragesimum tertium functus est, quo anno sub Marte primus minister senatus nostri nominatus est.

Anno MCMLVI rector universitatis creatus, quin etiam sex annis post cancellarius nominatus lustrum faustum florensque in regenda universitate nostra incohavit, quod tempus porro universitati nostrae magnopere profuit. Maximi autem momenti est, quod universitas his annis principem summae auctoritatis habuit, qui non solum universitati operam daret, sed etiam conatus studentium multis modis subsidio suo fulciret; namque inspector nationis Satacundae septendecim annos fuit.

Collaudatio eius potissimum concludetur rebus ad culturam humanam pertinentibus, apud quas professor noster libentissime se laborare semper dicebat.

Linkomies ab anno millesimo nongentesimo tricesimo primo socius Academiae Scientiarum Fennicae, deinde etiam Societatis Scientiarum Fenniae fuit. Idem cum praeses multarum commissionum publicarum scientiis artibusque promovendis esset, de statu scientiarum, praecipue litterarum humanarum apud nos multis annis optime meritus est. Innumerabiles tractationes ad culturam humanam pertinentes in actis ephemeridibusque in lucem protulit. Ephemerides nomine 'Valvoja-Aika' et 'Valvoja' eximia cum arte provulgavit. Acta litterarum humanarum nomine 'Arctos' iam pridem condidit, quae acta duos annos vixerunt. Acta 'Arctos' illo sexaginta annos explente denuo edi coepta hodie quoque forum philologiae classicae apud nos sunt.

Linkomies quaestiones philologiae classicae et litterarum antiquarum hominibus culturae antiquae amantibus explicare voluit. Hoc consilio magnum opus quaestiones Homericas tractans explicansque edidit ac libros, qui inscribuntur »Keisari Augustus ja Rooman perintö», »Muinaisuuden näköaloja», »Antiikin kulttuuri tutkimuksen kohteena», quod opus praecipue studentibus philologiae accommodatum est. Quibus libris stilo clarissimo vitam antiquitatis et auctores Romanos venuste describit. Etiam seriem magnam auctorum classicorum Fennice provulgare coepit prooemiisque instruxit. Ille porro grammaticam lexiconque linguae Latinae ad usum scholarum studiosorumque in lucem protulit. Translationes Fennicas 'Germaniae' historici Taciti et 'Cenae Trimalchionis' Petronianae explicationibus instructas nobis donavit.

Idem quaestiones philologiae classicae haud paucis operibus, quae et gra-

vitate sententiarum et monumentalii quodam genere dicendi excellunt, sagacissime perscrutatur; quae opera chronologice tractabo.

Primo dissertationem Latine scriptam nomine »De Octaviae praetextae auctore» (*Annales Academiae Scientiarum Fennicae*, B 11: 12, Helsinki 1919, pp. 1—101) edidit. Multi viri docti hanc fabulam Senecae spuriam esse iudicaverunt: primo quod deest 'Octavia praetexta' optimo 'codici Etrusco' Senecae, secundo quod res post mortem Senecae gestas in fabula designari putant, tertio quod nonnullis rebus, sicut stilo, sermone, metro eam a Senecae tragediis differre sibi persuaserunt. Linkomies autem putat hanc tragediam, quae Neroni notam crudelitatis inussisset, celatam esse, et in ea haud dilucide mortem Neronis nuntiari. Auctorem 'Octaviae' fata gentis Claudioe bene novisse, moresque hominum eius aetatis optime, sicut Senecam, depinxisse. Optima testimonia pro auctore Seneca esse synonyma vocabula, similitudines orationis, collocationem verborum, resque metricas haud raro cum sermone Annaeano congruentes.

In tractatione »Auguralia und Verwandtes», (*Annales Academiae Scientiarum Fennicae*, B 11: 10, Helsinki 1921, pp. 1—74) demonstrat Linkomies etymologiam vocabuli *augur* non ex substantivo *avis* (cf. *auspex*, *auspicium*) derivari posse, sed e verbo *augeo* (cf. *augustus*, *auctor*), sicut Zimmermann et Bücheler fundamentis linguisticis iam protulerant. Linkomies autumat augures cultui Cereris praefuisse praecipue ad cultum vini augendum. Praeterea quaedam alia verba cohaerentia explicat, sicut *vindex*, *lituus*, *arbor*, *felix*, *strena*, *augurium salutis*, *stirps*, *stips*, *stipulor*. Haec etymologia vocabuli *augur* etiam testimoniis ad ritum cultumque pertinentibus nititur et hodie vulgo comprobatur.

»De singulari quadam epigrammatum antiquorum forma» (*Annales Academiae Scientiarum Fennicae* 1922, B 16: 2, pp. 1—32) tractat epigrammata Graeca et Latina, quibus personificatio continetur. Talia epigrammata saepe apud Graecos in inscriptionibus sepulcralibus et dedicatoriis inveniuntur, sed etiam in poematis litterariis exstiterunt. Hic usus Graecus exempli causa in fibula Praenestina nobis occurrit, postea apud Romanos rarissimus est: in inscriptionibus sepulcralibus nulla fere sunt exempla, in poesi quoque pauca, scilicet apud Catullum (cc. 4 et 66 et 67), in carminibus Priapeis, apud Ovidium et Martialem nonnulla.

Opus principale professoris Linkomies fortasse est »De ablativo absoluto quaestiones» (*Annales Academiae Scientiarum Fennicae*, Helsinki 1929, B 20: 1, pp. 1—272) Latine compositum. Hunc usum in lingua Latina usita-

tissimum fundamento ablativi sociativi sive comitativi formatum esse Linkomies optimo iure existimat. Quem usum postea diversas alias significationes ablativi ad se traxisse, sicut causalem, temporalem, concessivum, condicionalem etc. Grammatica principalis linguae Latinae, quam ediderunt Leumann, Hofmann, Szantyr 1963—1964, accipit multas sententias, quas proposuit Linkomies, easque reverenter tractat.

In scripto »Vergils vierte Ecloga» (Arctos I, Helsinki 1930, pp. 149—194) Linkomies non eiusdem sententiae est ac Norden in tractatione »Geburt des Kindes». Utrique putant poema anno a.Chr.n. XLI scriptum esse, sed Linkomies ad nascentem filium consulis Asinii Pollionis id pertinere intellegit et omnes sententias superstitiosas explicatione poematis acriter arcere vult. Recte putat carmen 64 Catulli, divinationes et descriptionem aetatis aureae continens, Vergilio sententias graves dedisse.

In tractatione »Superstitio» (Arctos II, Helsinki 1931, pp. 73—88) etymologiam vocabuli *superstitio* hoc modo explicat Linkomies: verbum *superstare* significatione proximum esse verbo *superesse*, sed etiam significare 'überlegen sein', sicut adjективum *superstes* interdum 'überlegen'. Substantivum *superstitio* primum apud Ciceronem inveniri et 'Aberglaube' significare. Significationem autem originalem esse 'Überlegenheit', sicut Graece *περιουσία*. Deinde vocem *superstitio* significavisse 'Wahrsagekunst', sicut *divinatio*, *superstes* autem *divinus*, qui esset supra ceteros homines quasi daemonium. Tum *superstitio* idem valuisse ac 'Zauberei', 'aliquid contrarium pietati, quae ad religionem publicam pertineret', et postremo 'Aberglaube' significare coepisse.

Professor Linkomies praceptor universitatis gravis, clarus, admirabilis et interpres litterarum Latinarum illustrissimus erat. Grammaticam, praesertim syntaxim historicam et stilisticam lectionibus egregie nobis studiosis explicabat. Maxima sagacitate quaestiones criticas ad textum pertinentes exponebat lectiones seminariumque habens. Discipulos suos iam longius proiectos omnibus modis confirmabat. Ille semper gravitatem culturae proponere volebat et dignitati artium humanarum firmissime confidebat. Societati philologicae classicae intimo ex pectore favebat et multam operam Instituto Romano Finlandiae dabat.

Quibusdam versibus, quos in diem natalem eius sexagesimum composui, memoriam huius viri reverendi honorare volo:

Rhetor es egregius, cui par non inveniatur,  
namque a Porthano sextus es in serie.

Magne, tuis dictis donasti pondus honoris:  
ferrea verba volant, haec adamanta sonant.  
Tu scis, docte, satis rerum cognoscere causas,  
quas iterum pensas acriter ingenio.  
Nobis discipulis mittebas semina crebro,  
ut nova sementis surgeret ex animis.  
Non sic imbriferis quassant aquilonibus Alpes,  
ut tremuit Martis Fennia parva manu.  
Tu potuisti parte tua bene ferre salutem  
tam nostri populi tempore diffici.

Mors professoris nostri praematura maximo est detimento et universitati nostrae et, quod nobis litterarum Romanarum amicis proximum est, studiis classicis ac litteris artibusque humanis. Sed exemplum illustre praeceptoris magni nos ad studia classica colenda semper confirmabit.